

PHANO SCHVLTZEN Locumtenenti Brandenburgico dignissimo nupta.

Parentes hi literis imbuendum tradiderunt præceptoribus privatis, ut ab ineunte ætate bonis moribus ac literis adsvefieret. Hinc patre piè mortuo Osnabrugum missus, ibi sub cura avunculi sui, JOHANNIS ERICII NAGELII, Secretarii Brunsvicensis & Lunæburgensis meritissimi Gymnasium celebre frequentare jussus, privatâ & publicâ informatione M. THEODORI KORNFELDI, Gymnasii ejusdem correctoris dignissimi maximo cum emolumento usus est. Hinc fidelissimam quoque manuductionem M. TOBIÆ KVGELMANNI, ^{τ& vūv cū aγiōis,} ut & M. CHRISTIANI GRVBELII, hodie scholæ senatoriæ Mindensis rectoris optimè meriti, gratissimâ agnoscit mente.

Abhinc Anno M DC LXXXV. Jenam venit, atque in numerum studiosorum receptus, in Philosophico & Medico studio debitam impendit operam, omnesque ~~iac~~ singulos Facultatis Medicæ professores excellentissimos doctores sibi elegit, eosque auscultavit insigni-
cum emolumento.

Sectatus D. AVGVSTINVM HEINRICVM FASCHIVM, Prorectorem hodie Magnificum, seu haberet publicas lectiones botanicas, & chirurgicas, seu prosecaret cadavera humana & brutorum, & fructus, quos ex trium cadaverum sectionibus hausit, magni æstimat.

Anatomici quoque studii gratia iter Lipsiam fecit, ibique excellentissimi anatomici D. JOHANNIS BOHNII curiosæ prosectioni & dexterimæ demonstrationi sedulò interfuit, nec levem fructum inde hausit.

Plurimum quoq; se profecisse deprædicat ex fidelissimâ.